Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1795
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner), Bibliothek

Quorsum? ge Omitto proloqui nam nihil ad hanc rem est Antipho. ubi in gini-
ceum ire occepi puer ad me accurrit mida pone deprehendit pal-
lio resupinat respitio rogo quapropter retineat me: ait esse ue-
titum intro ad heram accedere. Sophrona modo fratrem huc inquit senis
introduxit Chremem eumque nunc esse intus cum illis. hoc ubi ego audiui
ad fores suspenso gradu placide ire perrexi. accessi astiti animamque
compressi aurem admoui ita animum cepi attendere hoc modo sermonem
captans. an Eu geta. ge hic pulcherrimum facinus audiui itaque
pene hercle exclamaui gaudio. phor Quod? ge Quidnam arbitrare?
phor Nescio. ge Atqui mirificissimum. patruus tuus pater est inuentus
Phanio uxori tue. an hem quid ais? ge Cum eius consueuit olim
matre in Lemno clanculum. pho Sompnium uti hec ignoraret suum
patrem. ge Aliquid credito phormio esse causae: Sed me censen potuisse
omnia intelligere extra hostium intus que inter sese ipsi egerint? phor
Atque hercle ego quoque olim audiui illam fabulam. ge Immo etiam dabo
quo magis credas. patruus interea inde huc egreditur foras haud
multo post cum patre. idem recepit se intro denuo. Ait uterque
tibi potestatem eius habende dari. Denique ego sum missus ut te requi-
rerem atque adducerem. an hem. quin ergo rapeme: quid cessas? ge
fecero. an O mi phormio vale. pho Vale Antipho. Bene (ita me
dii ament) factum. et gaudeo tantam fortunam te inprouiso esse
his datam. Summa eludendi occasio est mihi nunc senes: et phe-
drie curam adimere argentariam, ne cuiquam suorum equalium supplex
siet. Nam idem hoc argentum ita ut datum est ingratiis his datum erit.
hoc quo coegi re ipsa repperi. Nunc gestus mihi uultusque est capiendus
nouus. Sed hic concedam in angiportum hoc proximum Inde hisce
ostendam me ubi egressi foras exeunt. Quo me assimularam
ire ad mercatum non eo. demi pho chre.

Demipho Phormio Chremes

demi Dis magnas merito gratias habeo atque ago, quando euenere
hec nobis frater prospere. Quantum potest nunc conueniendus est
phormio prius quam dilapidat meas triginta minas ut au-
feramus. phor Demiphonem si est domi uisam, ut quod.
de Nos ad te ibamus phormio pho De eadem hac fortasse causa?
de Ita hercle. pho Credidi. quid ad me ibatis? Ridiculum. an ue-
remini ne non id facerem quod recepisse semel? heus heus quanta
hec mea paupertas est tamen adhuc curaui hoc unum quidem ut mihi esset
fides. cre Est ne ita ut dixi liberalis? de Oppido. pho Id quod ad

Loquitur secretus. a ginos quod est nudum. quia nudum debet esse secretum. turpe est nudus uideri in loco publico et ideo mulieres locum quem secretum sibi habent pro corpore ornatu giniceum uocant.

Equalis. i. sotius uel amicus.